

lium, Flaccumque poetas: rarus quidem ad recipiendas amicitias, ad retinendas constantissimus: liberalibus studiis, præsertim eloquentiæ, intantum incumbens, ut nullus, ne in prociectu quidem, laberetur dies, quin legeret, scriberet, declamaret. *Leges alias novas, alias correctas protulit suo nomine.* Auxit, ornavitque Romam ædificiis multis, isto glorians dicto: Urbem latericiam reperi, relinquo marmoream. Fuit mitis, grarus, civilis animi, & lepidi, corpore toto pulcher, sed oculis magis, (22) quorum acies clarissimorum syderum modo vibrans, libenter accipiebat cedi ab intendentibus tanquam solis radiis aspectu suo. A cujus acie, dum quidam miles averteret oculos, & interrogaretur ab eo, cur ita faceret, respondit: quia fulmen oculorum tuorum ferre non possum. Nec tamen vir tantus (23) *carere vitiiis potuit.* Fuit enim paululum impatiens, leviter iracundus, occulte invidus, palam factiosus. Porro autem dominandi, supra quam æstimari potest, cupidissimus, studiosus alexæ lusor. Cumque esset (24) *vini, ac cibi multum,* aliquatenus verò somni abstiniens, fervebat tamen libidini usque ad probum vulgaris famæ. Nam inter duodecim catamitos, totidemque puellas cubare solitus erat. Abjectâ quoque uxore Scribonia, amore alienæ conjugis obsessus, Liviam, quasi marito concedente, sibi conjunxit. Cujus Livix jam erant filii Tiberius, & Drusus. Cumque esset luxuriæ ferviens, erat tamen ejusdem vitii severissimus ultor, more hominum, qui in ulciscendis vitiiis, quibus ipsi vehementer indulgent, acres sunt. (25) *Nam poetam Ovidium, qui & Naso, pro eo quod tres libellos artis Anatorix scripserat, irrevocabili damnavit exilio. Quodque est lati animi, vel ameni, delectabatur omni genere spectaculorum, præcipue ferarum incognita specie, & infinito numero. Nam & in alipiscendo principatu, oppressor libertatis est habitus, & in gerendo civis sic amavit, ut tridui frumento in horreis viso quondam, statuisset veneno emori, si de provinciis classes interea non venirent: quibus advehtis, felicitati ejus salus patriæ est attributa. Itaque anno ab Urbe condita DCCLII. Cesar Augustus ab Oriente in Occidentem, à Septentrione in Meridiem, ac per totum Oceani circumulum cunctis gentibus una pace compositis, Jani portas tertio isse tunc clausit, quas ex eo per duodecim ferè annos, quietissimo semper obseratas otio ipsa etiam rubigo signavit. Nec unquam, nisi senectute Augusti, pulsante Atheniensium seditione, & Dacorum commotione patuere. Clausit igitur Jani portis Remp., quam bello quaesierat, pace nutrire, & amplificare studens, leges plurimas statuit, per quas humanum genus liberâ reverentiâ disciplinæ morem gereret, domini appellationem ut opprobrium declinavit. Nam quum eo spectante ludos, pronunciatum esset in Mimo: O dominum æquum, & bonum, universique, quasi de ipso dictum esset, exultanter approbavissent, & statim quidem manu, vultuque indecoras adulationes represist, & in sequenti die gravissimo corripuit edicto, dominumque se post hac appellari, ne à liberis quidem, aut nepotibus suis vel serio, vel joco passus est. Hujus temporibus Romæ sapientes insignes erant, Virgilius, Flaccus, Sallustius, Livius, Hortensius, Terentius, Horatius, Athenodorus Tarsensis, & Sotio Alexandrinus. Idem verò Augustus habitatoribus Romane*

(22) Ambros. magnis.

(23) A. vitiiis caruit.

(24) A. cibo, ac vino multum deditus.

(25) A. cum H. post acres sunt. Annum VII. &amp; LXX. ingressus, Nole morbo interit, quonquam &amp;c.

(26) A. ne quia Scribonie privignæ filium Agrippam &amp;c.

A *urbis, per facies dinumeratis, invenit virorum habitantium in ea centies tricies & semel millia triginta septem. Igitur eo tempore, id est, quadragesimo secundo imperii sui anno, quo firmissimam, verissimamque pacem ordinatione Dei Cesar composuit, natus est CHRISTUS, cujus adventui pax famulata est. In cuius ortu, audientibus hominibus, exultantes Angeli cecinere, GLORIA in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Anno ab Urbe condita DCCLX. quatuordecim vicosejus, incertum unde consurgens, flamma consumpsit. Nec unquam, ut ait Livius, majore incendio vastata est, adeout post aliquot annos Cesar Augustus ad reparationem eorum, que tunc exusta erant, magnam vim pecuniæ ex arario publico largitus sit. Postquam redemptor mundi Dominus Jesus Christus venit in terras, & Cesaris censu civis Romanus adscriptus est, cum per duodecim, ut dixi, annos clausæ belli portæ beatissima pacis tranquillitate cobiberentur, Cajum nepotem suum Cesar Augustus ad ordinandas Ægypti, Syriæque provincias misit. Qui præteriens ab Ægypto fines Palestine, apud Hierosolymam in templo Dei tum sancto, & celebri adorare contempsit, sicut Svetonius Tranquillus refert. Quod Augustus ubi per eum comperit, pravos usus judicio, prudenter cum fessisse laudavit. Itaque anno imperii Cesaris XLVIII. adeo dira fames Romanos consecuta est, ut Cesar lanistarum familias, omnesque peregrinos, servorum quoque maximas copias, exceptis medicis, & præceptoribus trudi Urbe præcepit. Ita peccante principe in Sanctum Dei, & correpto per famem populo, quantitatem offensionis, qualitas ultionis ostendit. Deinde, ut verbis Cornelii Taciti loquar, sene Augusto Janus patefactus, dum apud extremos terrarum terminos novæ gentes sepe ex usu, & aliquando cum damno queruntur, usque ad Vespasiani duravit imperium. Interea Cesar Augustus annos natus octo & septuaginta ingressus Nolam morbo interijt: quanquam alii scribant dolo Livix extinctum, metuens, ne quia (26) privignum Agrippam, quem odio novercali in insulam relegaverat, reduci compererat, eo summam rerum adepto, pœnas daret. Sepultus Romæ est in campo Martio. Igitur mortuum, seu necatum multis, novisque honoribus Senatus censuit decorandum. Nam præter id, quòd antea Patrem patriæ dixerat, templa tam Romæ, quam per urbes celeberrimas ei consecravit, cunctis jaçantibus vulgò: Utinam, aut non nasceretur, aut non moreretur vir, qui non immeritò ex maxima parte deo similis est putatus. Neque enim facile ullus eo, aut in bellis felicitior fuit, aut in pace moderator: Quadraginta & quatuor annis, quibus solus gessit imperium, civilissimè vixit, in cunctos liberalissimus, in amicos fidelissimus, quos tantis exeverat honoribus, ut penè æquaret fastigio suo. Imperavit annos quinquaginta & sex: (27) duodecim cum Antonio, & Lepido: quadraginta quatuor solus. Qui certè nunquam Reip. ad se potentiam traxisset, aut tam diu eâ potiretur, nisi magnis naturæ, & studiorum bonis abundasset. Remp. beatissimam Tyberio successori reliquit. (28)*

## TIBERIUS.

Anno ab Urbe condita DCCLXVII. Tiberius Cesar Livix filius secundus Imperium adeptus est: qui privignus Cesaris, mox gener, postremò ado-

(27) H. habuit annos XL. &amp; sex, duodecim cum Antonio, triginta verò &amp; quatuor solus; sed in MS. manus anonymi correctoris fecit ex quadraginta sex, quinquaginta sex.

(28) A. post reliquit continuò legit qui privignus &amp;c.